Omnipotens sempiterne deus qui dedisti nobis famulis tuis in confessione vere fidei eterne trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem, quesumus ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per. *Ad Rom.*

Fratres: O altitudo divitiarum sapientie et scientie dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles vie eius. Quis enim cognovit sensum domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen. *Gr.*

Benedictus es domine qui intueris abyssos et sedes super cherubim. Benedictus es in firmamento celi et laudabilis et gloriosus in secula. *V.*

Alleluia. *V.* Benedictus es domine deus patrum nostrorum et laudabilis et gloriosus in secula.

Secundum Johannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis. *Require dominica post Ascensionem.*

Of. Benedictus sit deus pater unigenitusque dei filius sanctus quoque spiritus quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Secreta.*

Sanctifica quesumus domine deus noster per tui sancti nominis invocationem huius oblationis hostiam et per eam nosmetipsos tibi perfice munus eternum. Per. *Prefacio.* Qui cum unigenito.

Co. Benedicimus deum celi et coram omnibus viventibus confitebimur ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Postcommunio.*

Proficiat nobis ad salutem corporis et anime domine deus noster huius sacramenti susceptio et sempiterna sancte trinitatis eiusdemque individue unitatis confessio. Per. *Feria iiii. Ad Cor.*

Fratres: Christus predicatur quod resurrexit a mortuis. Quomodo quidam dicunt quod resurrectio mortuorum non erit? Si autem resurrectio mortuorum non est neque Christus resurrexit

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. Ser. n. 2743, 00000007 – Missale (https://fragmentarium.ms/view/page/F-xj4p/145/2444)